

APOSTOLICAM ACTUOSITATEM / 2
Nº 12

Sancti Iacobi in Chilia, d. 25 Decembris 1964.

Reverendissime Domine!

Annexas invenies observationes et emendationes
quas, pro posse et pro temporis instantia, proponere audemus.

Textus vero Cap. VI hucusque ad nos non pervenit,
ideoque et pro eo animadversiones mittere minime potuimus.

Vellem, omni qua par est reverentia, rogare ut
quando textus Constitutionis Dogmaticae De Ecclesia citantur, hoc fiat ad
litteram, ne nostra Commissio videatur sibi ius vindicare praefatam Cons-
titutionem Dogmaticam interpretandi, quod si opus esset, meo humili qui-
dem iudicio, fieri nequit aut non decet inconsulta Commissione Doctrinali.

Dum sensus meae gratitudinis ab observantiae
Tibi ex corde pando, velis Reverendissime Domine ex mea parte vota natali-
tia suscipere.

Joyeux Noël, Monseigneur!

† Radulfus, Card. Silva Henriquez,
Archiepps. Santi Iacobi in Chilia.

Reverendissimo Domino

ACHILLE GLORIEUX,

a Secretis Commissionis de Apostolatu Laicorum.

Città del Vaticano.

Animadversiones Generales:

- 1) Generatim emendationes introductae textum ditare videntur ideoque placent salvis iis quae postea dicentur.
- 2) Ut ex ipsis litteris d. 27 Novembris patet, plures sunt in textu partes et magni quidem momenti, quae omnino vel fere omnino novae sunt et merito sane cum respondeant placitis Patribus in Aula prolatis circa lacunas quae in textu priori inveniebantur. Attamen hoc non parvam parare potest difficultatem, etenim, experientia teste, plura Schemata quae notabiles emendationes susceperunt suffragationi Congregationis Generalis submitti non potuerunt nisi praehabita nova vel saltem supplementaria disceptatione. Si hoc criterium nostro Schemati applicatur quaestio exurgit de possibilitate textum perficiendi in ultima Concilii Sessione. Quae quaestio magis adhuc implicatur si idem problema exurgat pro schemate emendato Constitutionis "De Ecclesia in mundo". Oporteret forsitan de hac re Commissioni de laboribus coordinandis consulere ut tempestive res componatur et ne, angustia temporis instante, totum Schema ruat.
- 3) Quamvis res forsitan practica non sit, videtur tamen innuendum vix possibile esse nostrum Schema rite parare antequam textus definitivus schematis "De Ecclesia in mundo" habeatur. Sicut cap. IV Constitutionis De Ecclesia magnum influum in nostro texto habet, et merito, simili modo expectandum esset de schema "13".
- 4) Optandum est ut ad citationes S. Scripturae quod attinet, specialis Subcommissio peritorum in re biblica audiatur, sicut optime factum fuit in praeparatione Constitutionis De Ecclesia.
- 5) Quando in textu decreti "De Apostolatu Laicorum" verba citantur Constitutionis "De Ecclesia", suadet ut citationes fiant omnino ad litteram. Si vero aliqua explicatio iudicatur afferenda, hoc fieri potest; attamen non videtur opportunum ut textus Constitutionis adhibeantur fere iisdem verbis, parvis et nullius momenti mutationibus inductis quae ad sensum dariorem reddendum nihil valent.
- 6) Quando in his animadversionibus alluditur ad Constitutionem De Ecclesia, textu utimur prout exstat in fasciculo distributo pro ultima suffragatione in Concilio habita (cinerei coloris).

Animadversiones particulares:

Ad Prooemium:

pag. 2; lin. 11: Post verbum "Consequitur" addatur in nota referentia ad Const. De Eccl. n. 33, lin. 7ss. (ed. cit. in Animadv. gen. sub n. 6).

Ad num. 1:

pag. 2; lin. 31: Post verbum "glorificare" scribatur "homines salvando sicque omnia in Christo instaurando". Ratio huius emendationis, iam tertia Sessione durante propositae, etsi ut clarius ostendatur relatio inter gloriam Dei et hominum salutem.

2; 33: Forsitan melius esset scribere "omnes", sec. tx. graecum, ut fit, e.gr. in Const. De Ecclesia, n. 3.

- 2, 34: Deleatur verbum "insuper" ne actio Christi concipiatur nimis ab actione Spiritus Sancti seiuncta.
- 3, 5: Textus Const. De Ecclesia ad quem nota provocat non videtur ad rem (cf. n. 7, lin. 6ss pag. 7). Afirmatio insuper videtur nimis fortis quoad necessitatem detrimenti, quae saltem explicationem requirit.
- 3, 17: Deleatur verbum "omnium" ne ex carentia caritatis concludatur ad denegationem conditionis membri. Posset sic scribi: "...vivens in totum corpus diffundit."
- 3, 18: Expressio "bonum Dei" pro eius gloria videtur inusitata in traditione et documentis magisterii. Insuper posset interpretari veluti contradictoria Conc. Vat. I (cf. Denz. 1783). Scribatur: "...christifideles ad amorem Dei et hominum propter Deum impellit. Bonum vero hominis supremum...".
- 3, 21: Propter rationes grammaticales deleri potest verbum "Te", et citationem afferre cum "cf".
- 3, 27: Deleatur verbum "insuper" eadem ratione ac dictum fuit pro pag. 2, lin. 34. Animadvertendum est quod sensus citationis Const. De Ecclesia (n. 12, lin. 16ss) notabiliter mutatus est ex omissione verborum "non tantum" quae in textu conciliari significanter usurpantur. Suadetur ut in hoc loco citatio fiat omnino ad litteram Constitutionis, saltem pro lin. 27-29 textus Decreti. Sic evanescet defectus claritatis qui exoritur ex verbo "cuique".

Ad num. 2:

- 3, 38: Suadetur ut pro verbo "prosequi" dicatur "exerceri" ne influxus Christi concipiatur veluti realitas temporis elapsi et non praesens.
- 3, 40ss: Textus non videtur agnoscere munera sacerdotalia, prophetica et regalia totius Populi Dei ut aperte declaratum est in Constitutione De Ecclesia (n. 31, lin. 21-23), quasi ea munera solis sacerdotibus hierarchicis reservaret. Instanter suadetur ut in hoc textu afferatur et quidem ad litteram textus Constitutionis citatus.
- 4, 1-6: Citatio Constitutionis De Ecclesia fiat ad litteram, parvae etenim immutationes non sufficienter iustificantur. Posset fortasse in initio citationis aliquid addere in hunc modum: "Laici, de quibus hic loquitur, indoles..." ut ratio habeatur de religiosis laicis de quibus hic non loquitur. Haec fuit ratio cur in initio n. 31 Const. De Ecclesia dictum fuit "nomine laicorum hic intellegantur...".
- 4, 12: (a lin. 10) Iterum non videtur ratio cur textus Constitutionis De Ecclesia mutatus fuerit. Si specialis ratio, atque stringens, non adsit ad textum mutandum, maneat redactio Constitutionis. Insuper citatio non est n. 34, ut legitur in nota (7), sed n. 35, lin. 21-24.
- 4, 15-17: Denuo postulatur ut citatio Const. De Ecclesia fiat ad litteram. Cf. n. 31, lin. 4-7.

Ad num 3:

- 4, 24: Pro verbo "requisitum" suadet "proprium" vel "consecrarium". Verbum autem "requisitum" videtur nimis extrinsecum aut iuridicum. Melius est rem in ambitu ut ita dicamus "ontologico" reponere.
- 4, 43: Textus Phil. 1, 18, certe non adhibetur hoc loco in sensu litterali. Si textus servatur, saltem adhibeatur "cf" in citatione.

Ad num. 4:

In toto hoc numero percipitur quaedam difficultas quae exoritur ex consideratione spiritualitatis laicorum veluti quid specificum, dum, e contra est spiritualitas communis Populi Dei in quo specificationes exsurgunt potius ex ministerio hierarchico et ex consecratione religiosa. Forsitan haec difficultas obviari posset divisione numeri in duabus paragraphis, quarum prima principia statueret spiritualitatis communis toto Populo Dei, et secunda insisteret in aspectibus in quibus invenitur relatio peculiaris ad res temporales, qui aspectus proprius est laicis. Haec distinctio etiam pretii esset pro orientatione spiritualitatis ipsorum sacerdotum.

- 5, 2: Pro verbo "prosequi" scribatur "exerveri" eadem ratione ut dictum fuit pro n. 2, pag. 3, 38.
- 5, 7-8: Deleatur sententia ex Io. 1, 13, quia non usurpatur stricte.
- 5, 15: Deleantur verba "omnis sanctitatis...origo", ne videatur sanctitas reponi in sola adimplentione legi, praescindens a gratia qua illa adimpletio possibilis fit.
- 5, 18: Verba "Spiritus Dei possidet" videntur nimis absoluta. Suadet ut pro eis scribatur "... a Spiritu Dei movetur..."
- 5, 42-43: Deleatur ad textum Const. De Ecclesia (n. 41, lin. 16-18). Textus decreti addit sequelam resurrectionis, quod, etsi prima facie pulchrum, non eodem modo dici potest ac praecedentia.

Ad num. 5:

- 6, 2: Corr. mendum "considerantur".
- 6, 4: Corr. "christianae".
- 6, 5: Scribatur: "...attinent; laicus enim in utroque ordine..." omissa distinctione inter fidem et civem ne forte, et perperam quidem, fidei attribuat labor sanctificationis et evangelisationis, civi vero animatio christiana ordinis rerum temporalium (cf. supra).
- 6, 8-10: Deleatur tota phrasis "Imo quaedam...homines." Ratio est quia haec opera non sunt necessario ea quae a maiori caritate procedunt, et insuper quia haec terminologia inducit in errorem.
- 6, 16: Scribatur: "ad bonum hominum in gloriam Dei". Sic clarius exprimitur relatio inter utrumque.

Ad num. 7:

- 6, 38s: Deleatur verbum "omnes", quod innuere posset omnes modo specifico et ut ita dicamus "specializatum" ad hoc vocari.
- 6, 44: Sensus phrasim non est perspicuus. Insuper distinctio inter contentum a Deo creatum et contentum ab Eo praevium, non est clara; omnia denique in creatione consistunt. Theologicae terminologia "praevisionis" applicatur ordini morali modo quasi exclusivo.
- 7, 13: Scribatur: "...; aperitur etiam ad valores religiosos supernaturales." Ratio inversionis terminorum propositae est quia verbum "aperitur" est nimis debile ad significandum ordinem naturalem, in quo ordo religiosus pertinet ad naturam ipsius conspectus humani rerum. Si vero affirmatio restringitur ad ordinem supernaturalem, tunc bene uti potest hoc verbo.
- 7, 28: Verbum "tribuunt" parum innuit indolem instrumentalem ministerii ecclesiastici per respectum ad gratiam; suadetur pro eo verbum "communicant" vel melius forte "dispensant".
- 7, 33: Pro verbo "persequuntur" suadetur "prosequuntur", sic vitatur analogia verbalis cum tx. "qui persecutionem patiuntur propter iustitiam".
- 7, 34: Deleantur verba "...ceteris paribus, magis quam alii..." et dicatur "bene" vel "clare" autonomiam, etc. Non videtur rationem adesse ad urgendam conditionem favorabiliorem nostram.
- 7, 39: Haec linea est repetitio linn. 32-33.
- 7, 48-51: Omnia haec inveniuntur iam in n. 4, pag. 5a, lin. 10-12. Insuper in lin. 48 deleatur verbum "etiam" ne quis cogitet hic agi de rebus aliquo modo supererogatoriis.

Ad num. 8:

- 8, 14: Deleantur verba "et caritatis", ad vitandam terminologiam minus exactam.
- 8, 17: Deleatur verbum "Etiam", quia innecessaria nam res ex se clara est.
- 8, 30-32: Sententia in se ipsa optima est, recognoscenda tamen esset sub aspectu latinitatis.

Ad num. 9:

- 9, 2-4: Citatio Const. De Ecclesia (n. 33, lin. 11-13) fiat ad litteram.
- 9, 6: Deleantur verba "sive Ecclesiae sive mundi"; divisio etenim haec est artificialis et innuit dualismum.
- 9, 11: Verba "eo efficacius" videntur nimis absoluta; adest quidem vinculum sed non licet idem ac mensura considerare. Scribatur ergo: "...et apostolatus efficax evadit si prae oculis inter alia habet..."
- 9, 15: Terminologia est ambigua spectato usu Const. De Sacra Lit. sub n. 10 verbi "culmen". Hac in re maximi est momenti ostendere unitatem cogitationis ne Concilium appareat aliquid docens in una Constitutione et aliud in nostro decreto.

- 9, 20: Scribatur "utantur", ne ex usu temporis praesentis verbalis textus appareat quasi iudicium historicum proferens, et quidem non ex omni parte accuratum vel historicum...
- 9, 21: Scribatur "vocent", eadem ratione.
- 9, 23: Scribatur "promoveant", eadem ratione.
- 9, 24: Scribatur "sint".
- 9, 26: Scribatur "demonstrent".

Ad num. 10:

- 9, 37: Post verbum "sunt", addatur "gratiae cooperatores nec non testes fidei Ecclesiae et amoris Christi." Additiones desumuntur ex textu veteri, sub n. 5, pag. 8, lin. 16-17.
- 9, 38: Scribatur "sint".
- 9, 39: Scribatur respective "educent" et "adiuvent". Cf. ratio ad 9, 20.
- 9, 40: Scribatur "curent".
- 9, 41: Scribatur "foveant".
- 9, 44: Scribatur "studeant".
- 9, 45: Scribatur "satagant".
- 9, 46: Scribatur "curent".
- 10, 8: Scribatur "afferant".

Ad num. 11:

- 10, 27: Pro verbo "efficacitate" scribatur "generositate", delete in sequenti linea verbo "generosi".
- 10, 28: Corrigatur mendum Hurano.
- 10, 31: Scribatur "exerceant".
- 10, 32: Pro verbo "mandum" scribatur "ambitum"; verbum etenim "mandum" polivalens est.
- 10, 34a: Phrasis est satis implicata et in initio praecipue caret perspicuitate. Proponitur nova redactio: "Ut generationes humanae ad invicem divitias cuique proprias communicare possint opus est ut sese mutuo in libero dialogo cognoscant".

Ad num. 13:

- 11, 4: Scribatur "consocientur".
- 11, 6: Scribatur respective "impleant" et "colant".
- 11, 9: Scribatur "ostendant".

- 11, 10: Scribatur "memorentur"
- 11, 17: Addatur post verbum "veritatem" vox "inquirenda": videtur enim maximi momenti hac affirmatio "dynamica" quae multum interest argumento de libertate religiosa.
- 11, 18: Pro "in honestis" scribatur "inhonestis", est enim mendum.
- 11, 19: Scribatur "Promoveant".

Ad num. 14:

- 11, 20-22: Citatio Const. De Eccl. non est ad litteram. Cf. n. 31.
- 11, 28: Pro verbo "localis" scribatur "particularis", secundum usum Const. De Ecclesia. Cf. e. gr. n. 27.
- 11, 31-32: Phrasis "Consciii...veniunt", transferatur post verbum "Offerunt", in lin. 34. Sic vitatur periculum ne catechesis vel administratio temporalis considerentur veluti opera quae non nisi deficientibus sacerdotibus laicis committi possunt.
- 11, 43: Scribatur forsitan "intellegant".

Ad num. 15:

PATRIMONIO UC

- 12, 9: Deleatur verbum "individualiter", utpote non necessarium.
- 12, 11: Pro verbis "...et nulla Hierarchia seu organisatione interveniente..." scribatur: "... et absque speciali ac explicita determinatione hierarchica, in sua vita ...". Textus prout iacet sonat nimis absolutus et non respicit sufficienter factum, aliunde necessarium, communionis cum Hierarchia. Emendatio proposita servat, ut videtur, et iustam autonomiam et relationem ad Hierarchiam, saltem implicitam.

Ad num. 16:

- 12, 17-18: Redactio videtur aliquatenus obscura. Momentum apostolatus individualis in eo videtur reponendum quod sine iniciativa personali difficulter apostolatus evolvi potest. Si vero idea textus sit sine apostolatu individuali impossibilem evadere apostolatus consociatus, hoc non tam clare apparet.
- 12, 24-38: In his tribus alineis perspectiva persecutionis fere exclusive apparet, quod videtur non fieri sine detrimento debitae proportionis totius numeri. Momentum apostolatus individualis non sumitur ex conditione persecutionis exclusive vel principaliter, sed ex eo quod permulti christifideles aliud facere nequeant, ut bene dixit in aula Excms. D. McGrath. Instante persecutione urget aliqua organisatione, etsi clandestina uti.

Ad num. 17:

- 12, 40 - 13, 28: Haec redactio non videtur satisfacere observationibus circa hanc rem in Aula prolatis eo quod non apparet quodnam sit elementum specificum apostolatus singulorum. Multa in hoc numero inveniuntur quae sunt repetitiones earum quae in cap. III iam dicta sunt.

Ad num. 18:

13, 30s: Initium phrasidis sic mutetur: "Et si Christifideles ut singuli ad apostolatam exercendum ..." Ratio est quia omnis forma apostolatus semper ac necessario est personalis.

13, 41-42: Citatio Mt. 18, 20 non videtur adhiberi in sensu litterali.

Pro toto numero animadvertendum est non posse dici formas associativas ex natura Populi Dei defluere, nam in omni forma apostolatus christifidelis agit quatenus membrum est corporis Ecclesiae. Videtur res esse maximi momenti hanc perspectivam emendare, praecipue in prima alinea.

14, 2: Scribatur: "exerceant".

Ad num. 19:

14, 6-11: Tota haec alinea videtur parum theologice fundata: enumeratio non est formalis; inducit ut media res quae potius inter fines connumerantur; argumenta particularia proponuntur quae revera generalia sunt. Quid sibi vult illud "per devotionem particularem mediate ad apostolatam promovendum...? Denique assertitur actionem quae se refert ad ordinem temporalem in Christo perficiendum non esse apostolatam sed tantum viam ad eundem pandere, quod contradicit dictis in n. 3, et 7 (pag 7, lin. 34).

14, 12-14: Deleatur haec oratio: est enim nimis generalis et parum iuvat in praerxi ex ipsa sua indeterminatione.

Ad num. 20:

14, 34: Deleantur verba "immediate et proprie", nam possunt interpretari in detrimentum aliarum associationum.

Ad num. 22:

15, 22: Deficiente nota, non intelligitur sensus verborum "Caritas paternitatis".

Ad num. 23:

16, 45: Videtur opportunum inserere quod in vetere schemati invenitur circa conditionem iuridicam horum laicorum rite definiendam. Haec etenim est forma praecipua pro officiis iustitiae adimplendis. (Cf. Tx. vet. pag. 17, lin. 17, sub num. 19).